



ORATIO,
QUAM DE MEDICINÆ
EXPERIMENTALIS PRÆSTANTIA,
ET UTILITATE,
DIXIT IN ACADEMIA
MEDICA MATRITENSI
D.^r ANDREAS PIQUER,
CATHOLICÆ MAJESTATIS
AC CUBICULO MEDICUS, &c.

DIE 17. APRILIS ANNO 1752.



ENE, ac sapienter, Viri clarissimi, Ma-
iores nostri statuerunt Medicæ artis
originem à Diis immortalibus ema-
nasse, nam cum nihil rite, nihilque
providenter homines sine Deorum im-
mortalium ope, & consilio facere posse existima-
verint, cognitionem illam quæ circa hominum sa-
nitatem versatur, non nisi divina ope, & auxilio
comparari posse censuerunt. Idque ipsum, quod

A

Apoll-

Apollini, & Aesculapio tribuit delusa gentilitas, meliori jure nos, & feliciori sorte in Deum optimum maximum, omniumque rerum Creatorem unicum vere, sapienterque refundimus. Si enim omne datum optimum, omneque donum perfectum defusum est descendens de Patre luminum, quodnam profecto praestabilius, aut pulchrius esse potest donum hominibus in hac vita concessum, quam cognitio illarum rerum, quae ad salutem hominum restaurandam inservire possunt? Neque nunc Viri clarissimi immorabor in Medicinæ laudibus, & præstantia proponendis, tum quia vel ipsa vestri animi dignitas, & summa existimatio quam propter ingenuam in medendo solertiam apud cæteros homines consequuti, Medicæ artis decorem satis demonstrant, tum quia Medicina locum habuit apud sapientiores viros inter res illas, quæ necessario laudem mereantur, adeo ut de rebus similibus Cato dissipissime dixerit, laudandas non esse, nam non, nisi qui stultus sit, eas unquam vituperavit. Scimus optime, Viros alioquin doctissimos Medicam artem ex hominum confortio prorsus tollendam censuisse, atque in perniciem humani generis potius, quam in ipsius utilitatem esse inventam. Sed quid obsecro tam nefandum ægrotus somniavit unquam, quod non aliquis Philosophus dixerit? Neque in his refellen-

dis opus est immorari , quoniam vel hæc sola ratio sufficit ad cuiusvis petulantis ingenii audaciam coercendam , & Medicinæ suum decus , & ornamentum restituendum. Nam quæ natio est tam barbara ; quænam inter remotissimas Orbis Provincias esse potest natio tam rūdis ; quæ in ægreditinibus non quærat solatium , & suos non habeat ad id præstandum Medicos , vel sola natura duce operantes , vel simul natura , & ratione commotos remedia apponentes ? Cum igitur id de quo omnium natura consentit verum esse necessum sit , maneatque ad unum omnium firma consentio Medicam artem humani generis utilitati institutam esse , proinde vel paucis reluctantibus id bonorum omnium consensu tenendum est. Interim tamen cum non diffiteamur salutarem artem , propter hominum negligentiam & incuriam in existium verti posse , nostra certe interest veram Medicinam à falsa secernere , & quænam illa sit , quæ hominum saluti comparandæ est destinata patetfacere , atque adeo nunc mei oneris partes esse putavi , aperte monstrare veram Medicinam unice esse illam , quæ natura duce , certisque observationibus adipiscitur , nihilque magis ad eam comparandam facere , quam doctissimorum probatissimorumque hominum confortia suas cogitationes , suaque judicia , & observatio-

nes ad majorem veritatis elucidationem conferentia.

Igitur si inter se comparemus Medicinam experimentalem, & systematicam, & utriusque sortem, & fortunam contemplemur, illius constantiam, hujus autem mutationes necessario mirabimur. Ecquis profecto est, qui nesciat infinitam prope systematicum ab ipsa remotissima antiquitate varietatem? Vel solius Celsi, Galeni, & Cœlii Aurelianii lectio aperte monstrabit nondum omnes empiricos, methodicos, & dogmaticos inter se certasse, sed inter Erasistratum, & Asclepiadem, inter Thesalum, & Galenum, inter Pneumaticos denique, aliarumque sectarum patronos, tam mira esse dissidia, tam discrepantia inter se dogmata, ut plumbeus planè, & stultus sit, quicumque ea velit in concordiam revocare. Nec solum antiquis illis temporibus variis opinionum fluctibus systematica agitabatur Medicina, sed nostra etiam ætate fermentationis patronos cum Galenicis, utrosque autem cum mechanismi Sectatoribus acerrime pugnare videmus, & quod magis mirandum, dum horum systematicum Sectatores de rebus insulsissimis disputant, pro aris, & focis suam unusquisque tuetur sententiam, & viros alioquin doctissimos videmus magno conatu magnas nugas tractare. Vel solæ Vviliſii explo-

siones , Dolæi Microcosmetor , Gasteranax , & Bit-nimalca , Helmontii Archæus , Hequeti Eretismus nimis decantatus , duræ matris elater Baglivianus , aliaque hujusmodi celebriorum Auctorum commenta nos exclamare , cogunt : O curas hominum ! O quantum est in rebus inane !

Sed quam diversa , & constans est Medicinæ experimentalis fortuna ! Artem experientiam fecisse nemo est qui nesciat , exempla vias monstrasse norunt omnes . Incœpit igitur experimentalis Medicina dum ægritudines humanum genus infestare cœperunt , atque ab ipsa antiquitate quantumvis remotissima , & quod magis est ab ipsis mundi primordiis usque ad nostra tempora quicunque in Medica arte claruerunt , nomen laudesque suas per experimenta , seduloque factas observationes sunt consequuti . Divinam illam in prædicendo , & medendo solertiam , quam habuit magnus Hypocrates , experimentali debuit Medicinæ . Faten-tur hodie quotquot sunt in hac arte sapientiores neminem cum Hypocrate conferri posse in historiis morborum exactè describendis , in ægritudinum transmutationibus notandis , in bonis , malisque rerum eventibus prædicendis , in Cœli , tempestatumque constitutionibus observandis , in quibus omnibus adeo excelluit , ut non hominem , sed oraculum consulere sciamus . Eaque omnia per

experimenta , acuratissimeque factas observationes assecutum testantur Viri omnes sapientiores , & de re Medica optimè meriti. Vel ipsum consulere Sydenahamum , Bianchium , Boerahavium , Vvanstyvietenium ad id demonstrandum abunde sufficit, ut omittam Vallesium nostrum , Duretum , Martianum , Fœcium , aliaque hujusmodi Medicinæ lumina , quæ vel solo Hypocrate duce profecisse testantur , & Hypocratem omnia artis arcana ab experientia accepisse sapienter profitentur.

Neque dubitari potest , quin Claudius Galenus antiquæ Medicinæ decus , & ornamentum , ipsa experientia ductus magnum plausum in Urbe Roma ; totius Orbis capite sit adeptus , dum filio Senatoris prædictum narium , jam jam venturam hemorrhagiam , & Glauconi Philosopho monstravit quamnam ejus amicus pateretur ægritudinem , & quibus symptomatibus instar Oraculi asseruit , imposterum esset afigendus. Adeo verum est homines per experimenta rerum usum agnovisse , & postmodum circa res jam inventas ratiocinia exercere cœpisse. Sed mitamus hæc omnia ex historia artis desumpta , nam ex ipsa rei natura demonstrari potest , solam Medicinam , quæ per experimenta , & observationes adipiscitur hominum saluti reparandæ congruere. Quidquid certum homines , & evidens in rerum humanarum inquisi-

tionibus consequi possunt, id duobus tantum modis adipisci posse indubitatum est, seu per principia lumine naturæ nota, & ipsis hominibus insita, seu per sensuum externorum rectam applicacionem. Primo modo sciunt homines ea omnia, quæ ad jus naturæ pertinent, ad Dei existentiam, ad rerum mensuras, & alia studia, quæ demonstrationibus certis, & infallibilibus nituntur. Secundo modo, scire possumus ea omnia, quæ ad scientiarum naturalium ordinem pertinere videntur, atque adeò quidquid certi assequitur Agricola, exercet Botanicus, & notat Astronomus, sensuum externorum rectæ applicationi debetur, unde non immerito Cicero in Philosophia, & eloquentia æquè versatus dissertissimè scripsit,, Sensuum ita clara,, judicia, & certa esse, ut si optio naturæ nostræ,, detur, & ab ea Deus aliquis requirat contenta ne,, sit suis integris, incorruptisque sensibus, an pos,, tulet melius aliquid, non videat quid quærat am,, plius, &c. Tamen cætera omnia quæ Philosophi scire præsumunt, cum tamen à vera scientia remotissimi sint, principiis nituntur ab ipso intellectu humano ad arbitrium excogitatis; unde etiam arbitrariæ sunt, quæ ab ipsis ducuntur conclusiones. Et quicunque vel solis veræ Logicæ rudimentis instructus sit, facile agnoscit humanum intellectum variis, infinitisque modis inter se combinarē

nare ideas , quæ ab imaginatione ducuntur , easque combinationes dum Philosophi , & Medici assumunt ad rerum naturam indagandam , non solidas cognitiones , sed commenta cæteris tradunt.

Nunquid propter ista rationem à Medicina omnem excludendam arbitrabimur ? Nequaquam. Imo ab omni Medico absit superba Empiricorum petulantia. Rationem igitur volumus necessario cum experientia conjungendam , & unice id intendimus , ut pro ratione solida , quam Medicinæ Parentem appellamus , non sophismata , & fucatæ imaginationis illecebræ , sed ratiocinia illa sumantur , quæ ex ipsis naturæ operibus sedulo , attenteque observatis tanquam principiis deducuntur. Quis enim ignorat experimenta sine consilio facta veram experientiam non efficere ? Quis demum est , qui nesciat ipsum sensuum externorum applicationem indebet , & sine judicio effectam homines sæpiissime fallere ? Postquam omnium Philosophorum experimentalium nostri temporis Princeps Robertus Boileus infinita propemodum fecit experimenta , & observationes , tum demum intellexit magnas requiri cautiones , summamque solicitudinem , ne homines in conficiendis experimentis deciperentur , idque elegantissimè proposuit in tractatu *de Infido experimentorum successu*. Hæc omnia attente considerantes Vvratislavenses Medici initio hujus sæcu-

li tractatum communicarunt Orbi Literario de experientia , in quo non vulgari eruditione demonstrarunt ea omnia , quæ attendenda sunt , ut experientia sit fida , eaque Professores Scientiarum naturalium recte uti possint. Profecto optime scire convenit diversam esse sensuum exteriorum applicationem à juditio , quod ipsam necessario committatur. Oportet etiam attente inspicere quibus modis nos sensus fallant , & quomodo ab ipsorum erroribus manere possimus immunes. Neque fieri potest , ut qui hæc omnia recte non calluerit , de experimentis bene institutis gloriari debeat , atque cogitanti mihi , quid causæ esse potuerit , ut plures longo annorum curriculo naturam intuentes potius mentem suam obscuraverint quam instruxerint ? Tandem intellexi aut ex male institutis experimentis , aut ex rationibus non ex veris principiis , & ex ipsa natura deductis , sed ad arbitrium excogitatis provenire. Attamen cum ad certa stabilienda axiomata non unum sufficiat aut aliud experimentum , sed plura bene instituta requirantur , & sæpiissime brevis nimium esse soleat vita hominum , ad eo ut insufficiens prorsus sit ad experimenta comparanda , propterea necesse est , ut aliorum concursu utamur , & observationes ab aliis factas cum nostris comparemus , ut ex omnibus simul sumptis ea copia habeatur , quæ ad scien-

scientiam harum rerum obtinendam necessario requiritur. Cum vero hominum consortia ad mutuam observationum conferentiam instituta, vel haberi possint in scriptis eorum, qui jam fatis cesserunt, vel qui adhuc vitali aura fruuntur, ipsa ratio dictitat ad rem recte perpendendam utrosque esse consulendos, licet ingenue fateamur viventium, & probatorum hominum commitia ad harum rerum examen exactius peragendum cæteris aliis magis conferre. Ego autem sic existimo inter Medicinæ Scriptores vita jam functos plures esse, qui experimenta attente facta, & bene institutas observationes nobis reliquerunt, esse autem alios, qui ne quidem vel ex ipso limine scientiam bene experiendi salutaverint. Quicumque igitur magnum molestumque Schenquii opus evolverit, observationes satis multas non omni fide dignas inveniet, idque ipsum adnotare licuit in multis aliis Scriptoribus, qui res nobis narrant prorsus incredibiles, cum tamen experimentis stabilitas indubitanter statuant. Quis igitur nisi nimis infulsus credit ea omnia quæ Simon Pauli refert in rebus Botanicis explicandis? Quis æquo feret animo mirabilia illa portenta, quæ tradidit Bilsius in rebus Anatomicis proponendis? Omittimus Paracelsi nugas, omniumque similium male feriotorum hominum, qui dum arcana Chimica jactant, nihil aliud profecto faciunt,

quam

quam ampullas, & sequipedalia verba projicere. Neque dissimulandum prorsus est in ipso Philosophorum Principe Aristotele, dum Historias refert Animalium, in Divinissimo Teophrastro naturam viresque plantarum referente aliqua imo, & quam plura tanquam experimentis explorata haberi, quæ re ipsa à veritatis scopo maximè aberrant. Relinquo igitur Historicos, quorum fides circa experimenta ut plurimum deficere solet, quæcumque enim à Livio traduntur de pluvia lapidum, & sanguinis, aliisque hujusmodi naturæ portentis, nihil aliud profecto sunt quam verba otiosorum scnuum ad imperitos juvenes, atque longum nimis esset ea omnia percurrere, quæ his de rebus apud viros satis celebres sublesta fide referuntur. Duo igitur necessaria sunt in homine experimenta tradente, ut aliorum fidem mereatur, alterum est ut possit serio attenteque inspicere, quæ memorat experiri, alterum vero ut omnia ea velit apponere, quæ ad experimenta rite instituenda apponenda necessario statui nus. Nisi igitur constiterit ea omnia in Scriptore observationes tradente concurrere de ipsarum constantia, & sedulitate merito dubitandum est. Cum vero hæc omnia superius recensita impedimenta, ut observationes rite peragantur per hominum consortia ad majorem veritatis elucidationem concurrentia satis vitari possint, reliquum est Viri

clarissimi , ut incepsum jam opus , & mirabili so-
lertia elaboratum peragatis. Ante Hypocratis tem-
pora scimus tres in Orbe Scholas Medicorum ce-
leberrimas floruisse Cnidiam scilicet, Coam , & Rho-
diam , & indubitatum est observationes ab ha-
rum Scholarum viris factas magnum lumen nos-
tro Hypocrati præstitisse , atque verosimilimum est
ex his omnibus , incomparabile prorsus confictum
Medicinæ opus , quod sub magni illius Medici no-
mine communiter circunfertur , eamque methodum
secuti postmodum nostrorum temporum Phi-
losophi , & Medici clariores , Academias per to-
tum Orbem dispersas magno Scientiarum incre-
mento , & eruditorum plausu instituerunt. Atque
dum Germanos , Gallos , Anglos , & Italos sua com-
mitia , & mutua hominum consortia pro scientiis
naturalibus utilius promovendis sapienter feliciter-
que vidimus erexitse , non minori emolumento,
& magno Medicæ Artis splendore vidimus hic Ma-
triti vos æquali animorum candore , unanimi etiam
consensu exterorum instar in unum corpus coivisse.
Gratulor itaque vobis , etiam atque etiam Viri cla-
rissimi gratulor , vosque vehementer obsecro , ut nun-
quam concilium nostrum , neque operam subtra-
hamus , nec disjunctos nos quasi Societate dimissoſ,
sed quasi adſtriectos , & devinctos puteimus , eun-
demque laboris , & curæ quem reverentiæ digni-

tatisque teneamus, non enim pacem viri clarissimi tantum, non concordiam, non securitatem, non opes exoptemus, non honores, sed nobis etiam pro votis omnium sit *salus Gentium*. Quod ad me attinet Viri sapientissimi nunquam pro dignitate explicare posse confiteor quantum jucunditatis, & honoris, suavitatis, & gloriae mihi accedat ex vestra comunione, ac licet commitiis vestris mihi praesidere Regis Catholici, potentissimique Principis nostri Ferdinandi jussu, injunctum sit, ut vestri Praesidis Domini D. Josephi Suñol, ipsius Regis Archiatri vices in hoc munere geram, intelligatis obsecro non tam Praesidem, quam Socium, atque enitendum mihi ut consensum vestrum complector, & teneam, & in dies augeam, atque reverentiae vestrae sic semper inserviam, ut me non caput, sed membrum hujus societatis putem. Solum restat Viri prudentissimi, ut exulet prorsus e Medicorum Coetibus Medicina systematica, ejusque loco ad suum imperium, & decorem restituatur experimentalis. Omni animi candore conjectisque viribus elaboremus, ut experimenta rite instituantur, observationesque ab omni errore prorsus liberentur. Hypocratis etiam, Galeni, aliorumque Graecorum Medicorum scripta, nocturna, diurnaque manu versemus, & Recentiorum inventa adeo amplectamur, ut principiis Medicinæ

Græcanicæ asscientur , eisdemque promovendis
 inserviant , sic profecto vestra vota in dies cu-
 mulatius perficiuntur , & humani generis salus
 vestris auspiciis sustineri , & restaurari salubriter
 poterit : Et te Deus Optime , Maxime , reveren-
 ter , suppliciterque præcor , ut nostris votis faveas ,
 tantisque muneribus addas perpetuitatem.

FINIS.



MATRITI.

Ex Typographia Joannis à Sancto Martino.